



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

II. De membris Ecclesiae Christinae, eorumque dignitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

Aug. in  
Enchir.  
l. 10.  
de ciuit.  
cap. 7.

**M**embra ecclesie prout modò eius status est, secundum D. Augustinum in triplici differentia sunt: Quædam enim post fortiter deiectos, & gloriosè triumphatos suos hostes spirituales coronam gloriæ receperunt, & in cœlis cum Christo à turbis, & miserijs huius vitæ liberrimi viuunt; ex quibus ecclesia triumphans, quæ est Christi sponsa absque ruga & macula, componitur. Alia quidem iam in Domino obdormierunt, & in gratia Dei ex hac vita decesserunt, quia tamen leuioribus culpis adhuc onerabantur, purgatorijs ignibus expiantur, & ecclesiam purgantem constituunt. Ceteri verò christiani, qui adhuc in acie consistentes aduersus diabolum, mundum & carnem decertant, Ecclesiam militantem, de qua nobis agendum est, efficiunt.

Quod ad infideles, Hæreticos, Scismaticos, & Excomunicatos pertinet, sciendum est hos omnes hunc ob hanc, illum

illum ob illam causam extra ecclesiam esse. Infideles, quia nunquam fidem Christi receperunt: Hæretici & Scismatici, quia seipso ab ecclesia separauerunt: Excommunicati, quia ab ecclesia præcisi fuerunt. Ideoque horum nemo Christiano nomine appellandus, aut membrum ecclesie vocandus venit. Didicimus hoc ex sanctis Patribus, nominatim autem Augustino, & Cypriano, quorum hic ita loquitur, *Qui ecclesia non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, multum de se licet iactans, & sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est: & alibi, Quisquis ecclesiam Christi deserit, alienus, profanus, & hostis est: soli christiani domestici sunt, quam diu in domo Christi commorantur; reliqui omnes fluctuant, & in aquis diluuij pereunt. Et Augustinus. Quisquis ille est, & qualiscumque ille est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est.*

Vbi obiter aduerte, quod licet omnes Christiani huius familie membra sint, haudquaquam tamen omnes merito, & dignitate æquales esse; sunt enim, qui fidem habent, & non charitatem;

• B

tem;

tem; sunt qui fidei charitatem adiungunt; hi merito, illi verò numero solummodo Christiani sunt: Et hanc membrorum ecclesie diuersitatē indicauit Christus, cū regnū cęlorū, id est, ecclesiam suam cōparat areę, in quo frumento palea adhuc admiscetur; reti in mare misso, in quo boni & mali pisces reperiuntur; decem virginibus, quarum quinque accensas lampades, alie extinctas gestabant: Triticum enim boni pisces, & sapiētes virgines, iuxta D. Augustinū, bonos Christianos designant: Palla autem, mali pisces, & fatuę virgines, peruersos, & impios Christianos denotant. In arca Noe munda, & immunda animalia erant, vt significaretur in ecclesia Dei, tam bonos, quam malos futuros esse.

Interim multo feliciores existimandi sunt mali Christiani in ecclesia vnitate perseuerantes, quā Pagani, hæretici, aut scismatici ab ecclesia gremio exulantes: idque varijs de causis, præcipuè tamen, quia cum fidei lumen habeant, adhuc in via salutis constituti sunt; à qua, qui lumine fidei priuantur, longissimè aberrant: &

quam

Luc. 3.

Matth. 13.

Matth. 25.

August. l.  
1. quæst.  
Euangel.

quamuis per peccatum spiritualiter mortui sint, & gratia destituti, corpori tamen ecclesie vniuntur, & facilius susceptione sacramentorum viuificantur: item, cum ecclesie communionem retineant, sacrificio Missæ assistere possunt, & pijs matris suæ, quæ ecclesia est, precibus diuari: Adde, quod non totos se sathanæ, sicut infideles & excommunicati, tradiderint, aut traditi sint.

Patet itaque omnes Christianos, tã eos qui i solam fidem habent, quam qui fidei charitatem, adiunxerunt, speciali quadam obligatione teneri diuinæ bonitati gratias reddere, eo quod eos suæ sanctæ ecclesie membra effecerit; cum tamen taliter omni nationi non fecerit. Non quod non omnes ad hanc ecclesiam vocati sint, *Nam euangelium Coloss. 2. in vniuerso mundo est, & fructificat & Rom. 10. vt ait ex Psalmista Apostolus: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum; Sed non omnes obediunt euangelio quidã quia voluptatibus præpediuntur; alij quia diuersis superstitioni-*

tionibus præoccupantur: Adeoq; singularis beneficii loco habendum est, quod à parentibus Christianis nati & inter Christianos educati simus: sic enim factum est, ut absque ullo nostro merito, aut cooperatione in medio ecclesie, & inter filios Dei succreuerimus. Verum ut eo vnde digressus sum redeam, dico tam bonos, quam malos Christianos, in maximas gratiarum actiones Deo debere; boni, quod eos in innocentia conseruarit: mali, quod eos nondum ab ecclesia tanquam putrida membra resecarit: Neque tamen hic subsistere licebit, & gratias solummodo rependere; ulterius progrediendum est: Dicit Apostolus, *Qui stat, videat ne cadat*; & lapsis ait S. Ioannes, *Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & priora opera fac*: Sicuti enim nihil homini facilius est quam in peccatum prolabi; ita nihil difficilius, magisue arduum, quam ab eodem resurgere.

Paraliticus ille trigesimum octauum annum apud piscinam probaticam agens, nullius ope indiguerat, ut in morbum incideret, hominis tamẽ auxilio opus habebat, ut piscinam sanandus

1. Cor. 10.

Apocal. 2.

Ioc. 5.

fin.  
est,  
i &  
ic e.  
stro  
ec.  
eri.  
sum  
alos  
cti.  
in.  
eos  
ida  
hic  
no.  
ndū  
t ne  
nor  
am,  
hil  
um  
sue  
re.  
um  
a a.  
in  
au-  
nā-  
dus

duſ intraret.

Si fortè roges, cur homo, etiã chri-  
ſtianus, adeo in peccatum procliuſ  
ſit; & tamen ad reſurgendũ tardus, ac  
imbecillis? In genere reſpondemus  
eſſe vitium naturæ per peccatum pri-  
mi hominis à bono auerſæ, & in malũ  
inclinatæ: In particulari, ſæpius re-  
por in bono opere, Dei que ſeruitio, & te-  
meraria longioris vitæ præſumptio,  
id mali cauſant. Vnde Deus in Apoca-  
lipli ait, *Vtinam calidus eſſes, aut frigi-*  
*duſ: ſed quia tepidus es, incipiam re euo-*  
*mere de ore meo.* quaſi dicat, abijciam  
à me & abſcindam eos peccatores, &  
Chriſtianos qui mihi tepidè, & oſci-  
tanteſ inſeruiunt: eos que in varia,  
multo que grauiora peccata ruere ſi-  
nam. Cum cacabus feruere deſinit ad  
marginem accedentes muſcæ liquo-  
rem ſugunt: Aqua, cum à motu ceſſat  
corrumpitur, ſerpentes, buſones, ali-  
aſ que venenatas beſtias generat. Idem  
planè animæ otioſæ ac tepidæ euenit;  
vbi enim charitatis feruorem amiſe-  
rit, ſtatim muſcæ, id eſt, maligni ſpiri-  
tus aduolant, & in ea peccata, quouis  
veneno virulentiora, eformant. Ne-

Apocal. 3.

cessarium itaq; est Christiano, qui hūc  
charitatis teporem sentit, vt deuotio-  
nis feruorem in se suscitet, ne in hac  
mala incidat: aut si inciderit in ea,  
caueat, ne sibi blandiatur, & longio-  
rem vitam promittat: sed timeat sin-  
gulis momentis à morte praueniri.

*Ioan. 9.* Venit enim nox, in qua vt inquit Salua-  
tor nemo potest operari: & alibi, *Si pa-*

*Matth. 24.* terfamilias sciret, qua hora fur ventu-  
rus esset, vigilaret utique, nec sine-  
ret perfodi domum suam. Et subiun-  
git, Ideo & vos estote parati; quia

nescitis, qua hora filius hominis ventu-  
rus est: Ipse enim est piscator qui in fine  
mundi rete bonos ac malos pisces, id  
est, Christianos continens, in ter-  
ram trahet, retentisque bonis malos

*Matth. 13.* abijciet: Ipse est paterfamilias qui ap-  
*cap. 3.* prehensio ventilabro mundabit are-  
am suam, & triticum quidem, id est

homines bonos colliget in horrea  
paradyfi coelestis, paleas autem &  
malos comburet infernali illo incē-  
dio, & nunquam extinguibili igne: Ip-  
se deniq; est sponsus, qui prudētes vir-  
gines accensis lampadibus ornatas, in

*Matth. 25.* domum suam coelestem introducet,  
& fa-

& fa-



& fatuas charitate priuatas exclu-  
det.

Agedum ergo non sufficiat nobis  
esse Christianos numero, simus & me-  
rito: quomodo autem id assequamur  
fufius explicabimus, cum de gratia &  
charitate agemus: Nunc autem satis  
fit, si ecclesiam Dei per modum horti  
concipiamus: Nā si nobis in florente  
pomario inter omnes viridates arbor-  
res vna arida, & emortua displiceat;  
quanto magis displicebit Deo in Ec-  
clesiæ suæ viridario inter plurimas fi-  
de, & gratia viuentes arbores, vnā ali-  
quam peccato emortuam cernere? In-  
dicat id satis euangelica parabola, vbi  
Paterfamilias arborem infructiferam  
exscindi iubet, *vt quid enim inquit ter-  
ram occupat?* Si autem aliquando hanc  
exfectionem differre videatur; tandē  
tamen, si sera nimium penitentia pro-  
trahatur, veniet; & iā securis ad radi-  
cem posita est. O igitur verè felices, &  
beatos, qui euitata morte peccati, vt  
vera membra ecclesiæ gratia viuunt,  
fructusq; vita dignos æterna proferūt.

Luc. 13